Marian Library Studies

Volume 1 Article 3

1969

Ad Lectorem

Vincent R. Vasey

Follow this and additional works at: http://ecommons.udayton.edu/ml_studies

Recommended Citation

Vasey, Vincent R. (1969) "Ad Lectorem," *Marian Library Studies*: Vol. 1, Article 3, Pages 5-8.
Available at: http://ecommons.udayton.edu/ml_studies/vol1/iss1/3

This Front Matter is brought to you for free and open access by the Marian Library Publications at eCommons. It has been accepted for inclusion in Marian Library Studies by an authorized administrator of eCommons. For more information, please contact frice1@udayton.edu.

Ad Lectorem

Bibliotheca ad monumenta doctrinae Marianae servanda quinque lustra diligentius collecta, quibus scientiarum sacrarum cultores in America degentes, sicuti collegae in Europa eisdem studiis devoti atque dediti librorum fonte longum tempus gavisi erant plenissimo, investigationes facilius peragere possint, fidelitatis et studii filialis erga Fundatorem Societatis Mariae et eximii Mariae apostoli Guglielmi Josephi Chaminade argumentum insigne, cui nihil antiquius erat quam cognitionem et cultum augustae Mariae promovere, exstat. Ipse enim exemplis et hortatibus, praesertim Caesaraugusta Burdigalam, bello civium Gallorum exstincto regressus, socios Sodalitatis Marianae, viros mulieresque religiosos omnibus viribus excitavit, ut operam studiis dent principiorum, quibus cultus B.M.V. fulcitur, cum sibi persuasum esset, devotionem Mariae exhibitam, scientia debita deficiente, vigere et quidem florere nequire.

Ad formandos animos iuvenum librum exercitiorum titulo "Servus Mariae", *pluries curavit prelo excudendum, cui, anno 1844 postremum edito, opusculum de Maria cognoscenda a Rev. Patre Fontaine praeparatum, doctrinam autem suam quam apprime referens, inserere iussit.*[1] *Scripta, quae Pater Chaminade de Maria in variis rerum et temporum adiunctis contexuit, in unum redacta, quamvis duos libros constituant, nullo modo haberi possunt tractatus mariologicus secundum amplitudinem et ordinem exaratus. Nihilominus, quae is profert sive in collationibus ad Sodalitatis Marianae socios*[2] *aut religiosos Societatis Mariae*

[1] VERRIER, J. Le Manuel du Serviteur de Marie, Edition de 1840-1843. *Apôtre de Marie*, XXXVI, pp. 29-33.

[2] G. J. CHAMINADE, *Écrits Marials*, I, pp. 157-282; 297-300; II, pp. 107-134. Fribourg, 1966.

habitis,[3] *sive litteris*[4] *sive aliis scriptis,*[5] *prae se ferunt doctrinam solidam, traditione patrum et auctoribus ad scholam Gallicam pertinentibus fretam, omnia, virum ad res Mariam respicientes intentum, revelant, qui doctrinam de Maternitate Mariae mirum in modum scriptis mandavit. De eo auctor historicis quidem investigationibus deditus, citata pagina ex scriptis Patris Chaminade, tanti pretii aestimavit, ut has laudes deprompsit: "impossibile est nobis textus pulchriores quam transscripsimus ex Patre Chaminade atque aptiores ad originem evolutionemque doctrinae quae docet Mariam esse Matrem nostram, maiore brevitate exponendam."*[6]

Ut iudicari possit, quam studia quae ad Mariam attinent, in deliciis habuerit, quantum cordi eidem fuerit res mariologica, atque quousque bibliotheca Mariana officiis pietatis, quam filiis filiabusque suis proposuerat praestandam, respondeat, iuvat nonnulla eius asserta de Maria cognoscenda, utilitateque huius scientiae et necessitate. In primis autem necesse memoria teneatur inter fines, quos congregationibus religiosorum a se fundatis constituerat, computandum esse, ut Maria hominibus innotescat. "In nomine Mariae statum amplectimur religiosum ad eius gloriam amplificandam, cultui eius omnia, quae possedemus tum ad corpus tum ad animum referentia, devovemus, ut ipsa cognoscatur; *ametur et eidem serviatur."*[7]

Eodem proposito ducti, ante Societatem Mariae constitutam, sodales Marianae, religiosorum praecursores, propensissima voluntate eundem finem prosequebantur, ut omnibus notum esset, quid ii de Maria sentirent. Ad horum actuositatem excitandam, Pater Chaminade explicat rationem, cur praefatio Manuali in usum Sodalium Congregationis B.M. Virgini consecratorum praeficienda sit, ut omnes scire possint, quid de Maria sentiamus.[8] *Studio enim privilegia gloriasque Mariae praedicandi, quo sodales praestabant, Moderator eorum censebat esse necessarium ad impetus impietatis illo tempore ingruentis repellendos, nam qui cultui Mariae dediti sunt facile nanciscuntur occasiones ad loquendum de Maria*

[3] *Ibid.* II, pp. 275-322.
[4] *Ibid.* II, pp, 69-104.
[5] *Ibid.* II, pp. 207-272; 325 ss.
[6] GEENEN, G. "Marie Notre Mère". *Marianum* 10 (1948), pp. 349-350.
[7] *Lettres de M. Chaminade,* Aux Prédicateurs des Retraites, 26 août 1839, V, p. 25.
[8] *Lettres,* à M. Enderlin, 16 juin 1840, V, p. 186.

atque si verecundia impediti non eam praedicant, ignavi reapse sunt, quia inimici Mariae principiis imbuti liberalibus, ignorantia laborantes, instructione indigent. Qua de causa non licet eos in erroribus versari, amicis tacentibus.[9] *Quomodo possunt errores redarguere, si de Maria diserte loqui nequeunt? Praeter scopum errores confutandi meminisse oportet, quam multi utriusque sexus, veritatibus, quae ad munus Mariae in consilio Dei pro hominibus redimendis spectent, instituti, in societatibus cultui Mariae promovendo fundatis coadunati mundo renunciaverint.*[10]

Non vero putandum est Institutorem Societatis Mariae sola certaminis necessitate pressum, scientiam marianam propugnasse, sed devotionem Mariae ab eo habitam esse tanquam auxilium efficacissimum ad sanctitatem consequendam et apostolicam operositatem exercendam. Itaque in methodis ad subditos in via spirituali dirigendos exaratis, clarissime exposuit oportere, ut omnes asseclae multum de B.V.M. instruerentur, praesertim quoad ea quae sequuntur: 1⁰ quonam modo ipsa in eodem mysterio a saeculis abscondito et eodem decreto praevisa sit, quo Deus opus redemptionis per Verbi incarnationem decrevit, 2⁰ quibus virtutibus Maria exornata sit, explicandum est tum in genere tum in specie, 3⁰ qua utatur Maria potestate intercessoria coram Deo, 4⁰ qua clementia eniteat atque gloria splendeat.[11]

Quae tandem ex cognitione profunda Mariae consequuntur? Utilitates ex consecratione Mariae facta natae scatent, virtus auxilii clarescit, necessitas Mariae imitandae, quae imago Christi apparet, exoritur. Quae cum ita sint, expedit, ut hae veritates, quamvis natura sua ex principiis expositis promanant, singulae perpendantur, ut sciamus quo modo et gradu mores ad exemplar quod est Maria, componendi sint.[12]

Quamquam Bibliotheca Daytoniensis XXV annis elapsis iam multum contulerit ad Mariam honorandam non solum libris colligendis seu thesauro praeparando et in doctorum usum disponendis ita ut ingentissima instrumentorum copia in

[9] Instruction à la Congrégation, *Écrits Marials*, II, n. 335.

[10] *Manuel du Serviteur de Marie* (1843), Chap. VI, *Écrits Marials*, II, n. 510.

[11] Manuel de Direction à la Vie et aux Vertus religieuses dans la Société de Marie. *Écrits Marials*, II, n. 675.

[12] Manuel du Serviteur de Marie (1843), Réflexions sur les chapitres suivants (entre chap. VII et VIII), *Écrits Marials*, II, n. 524.

promptu adesset, sed etiam praelectionibus super Maria moderandis, ephemeridibus et dissertationibus propagandis, benemerentibus premio honorandis, ut cultus Mariae omnimodis augeretur, optandum est, ut, laboribus praeteritis posthabitis, Bibliotheca ancilla cultoribus Mariologiae de die in diem reddatur diligentior atque ad respondendum et ad agendum peritior.

VINCENT VASEY
Procurator Generalis Societatis Mariae